UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

131. Qualiter, dum plures sunt patroni, facienda & admittenda præsentatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-74485

Visual Library

dum ea fit per patronum ipſum, quàm per ejus procuratorem, vide apud Corr.*l.4.c.6.n.4.*

Quæſtio 130. *Qualiter præſentatio ex præſcripto fundationis, aut aliàs facienda coram Papa, fiat?*

RESpondeo: ſi patronus in Romana Curia præſens eſt, per ſe; vel ſi ab ea abſens eſt, per conſtitutum ad hoc procuratorem præſtare debet conſenſum ſuum, præſentando oratorem coram Notario Cancellariæ vel Cameræ ad recipiendos hujuſmodi conſenſus beneficiales deputato & habenti facultatem à Papa, qui conſenſus ſic in manibus prædicti Notarii præſtitus per patronos habet vim præſentationis juxta deciſ. Rotæ.*532.n.4.p.1.diverſ.* valétque præſentatio perinde, ac ſi fuiſſet facta coram ipſomet Papa, etiamſi in mandato dicatur ad præſentandum coram Papa, vel, ut etiam dici quandoque ſolet, coram illius Datario, ut Vivian.*in pr.juriſpatr.l.6.c.8.n.23.* apud Corrad.*l.4.c.7.n.34.* licet enim præſentatio & conſenſus hujuſmodi fuerit receptus per Notarium ſupradictum à Papa ad id deputatum; non tamen iſte actus attribuitur Notario, ſed Papæ, ut dictum *in una Florent.parochialis.deciſ.92 n.12.* ac ita præſentatio in manibus Papæ fit per inſtrumentum, & ſufficit conſenſus præbitus in Cancellaria vel Camera per patronos, valétque præſentatio de abſente, nec requiritur iſte ordo, quo utimur aliàs, quando fit præſentatio coram inferiore ſervatâ formâ, & appoſito edicto juxta text. *c.fin.in 6.* Ita ferè ad hanc quæſtionem reſpondet Corrad. cit.*n.34. & ſeq.* qui etiam *n.35.* hanc ponit formulam hunc præſtandi conſenſum ac præſentandi; nec non admittendi prædictam præſentationem; quæ extendi conſuevit à tergo literarum apoſtolicarum, continentium talis beneficii patronati collationem, nimirum: *Anno Dominicæ Incarnationis. Die N. Titius, ad quem juspatr. & præſentandi perſonam idoneam ad beneficium N. ut prætenditur, ſpectat per D. Cajum procuratorem ejus ad beneficium dictum vacans Sempronium ſanctiſſimo præſentavit, præſentationíque hujuſmodi, ac literarum expeditioni conſenſerant, &c.*

Quæſtio 131. *Qualiter, dum plures ſunt patroni, facienda & admittenda præſentatio?*

1. RESpondeo primò: ſive plures præſentent per modum unius (hoc eſt, quatenus unum corpus commune efficiunt, ſeu unum collegium aliámve communitatem conſtituunt; quò ſpectat etiam, dum præſentatio eſt penes plures hæredes unius ex patronis; hi enim habentur pro uno, & habent unam tantùm vocem, adeóque reſpectu illorum præſentatio non competit pluribus ut ſingulis, ſed pluribus tanquam uni, acſi competeret pluribus ut collegio, Garc.*p.5.c.9.n.225.* qui proinde debent ſimul convenire ad præſentandum, ut Paul. de Citadin. paulò pòſt citand.) ſive præſentent per modum plurium, omnes vocandi, ita ut, ſi unus, qui poſſit vocari, ſpernatur, præſentatio ſit nulla. Caſtrop. *loc.cit.p.8.n.1.& 2.* citans Azor.*p.2.l.6.c.21. q.21.* & Abb.*in c.quoniam.h.t.* contra Jo.And. *in c. quoniam.* Sylv.*v.juspatr.q.11.* Vaſq.*opuſc.de benef.c.2.§.1.dub.7. n.18.* Leſſ.*l.2.c.34.n.34.* cenſentes non eſſe neceſſe vocari omnes, dum non per modum unius, ſed per modum plurium (jurepatr. nimirum ſpectante ad eos ut ſingulos) concurrunt plures ad præſentandum; ſed firmam eſſe præſentationem factam à majore parte, quibus accedit Garc.*p.5.c.9.n.222.* citans inſuper Paul. de Citad.*p.6.q.19.a.3.* Lamb. *p.2.l.2.q.2.a.8.* (qui etiam dicit eſſe ſententiam communem) & alios, & plures Rotæ deciſ. præcipuè *in una Callagur.beneficii.4.Mart.1594.coram Mantica,* quam fusè refert Garc.*n.227.* qui omnes dicunt, quòd, ubi ſint plures patroni, poſſunt ſinguli præſentare, aliis non requiſitis, quando juſpatr. ſpectat ad eos uti ſingulos (quod in dubio ſemper præſumitur) & non ut univerſos, ſeu jure collegii; & ſententiam contrariam Abbatis, Felin. Rochi procedere, quando, etſi juspatr. pertinet ad plures ut ſingulos, vigore tamen inſtituti vel conſuetudinis ſoliti ſint convenire. Item in præſentatione ſeu nominatione facienda ad Capellaniam, in qua non debet fieri inſtitutio à ſuperiore, uti in capellania non collativa. Item in electione ad eleemoſynam aliquam faciendam, ſeu opus pium; quia hic ulterior actus non requiritur, ſed ſufficit ſola nominatio; adeóque factâ hac electione per majorem partem, minor pars non habet ampliùs, quod faciat; adeóque aliquo non vocato ſeu contempto, actus non valebit, etiam contempto non reclamante. Garc.*n.228.* Verùm rationem hanc dat Caſtrop. quòd quilibet patronorum, etiam concurrentium per modum plurium ad præſentandum, habeat jus præſentandi intra tempus à jure conceſſum, quem voluerit: nemo autem privandus ſit jure ſuo ſine culpa, qualiter in præſente, ſi valida foret præſentatio majoris partis patronorum, aliis patronis non præſentantibus, dum adhuc tempus currit ad præſentandum, hi non præſentantes privantur jure ſuo. Aliam rationem dat Abbas, Roch. Felin. apud Garc.*n.223.* nimirum ex regula Bartol. *in l.omnes populi.ff.de juſtitia & jure*, quam probant ibidem alii DD. quòd in his, in quibus conſenſus majoris partis præjudicat minori, etiamſi pertineat ad plures ut ſingulos, requiratur, ut actus fiat ſimul, & debent ſimul convenire, *l.ut ſuum.ff.de pactis.l.fin. c.qui bonis cedere poſſint.* & ibi Greg. Lopez. Straca *de decoctoribus 6.p.n.9.* Ad quam tamen rationem reſpondet Garc.*n.224.* ex Lamb. & de Citadinis, regulam illam procedere, quando factum majoris partis præjudicat minori circa eundem actum; in præſente autem præſentatio majoris partis non præjudicat minori quòad actum præſentandi; quia quilibet poteſt præſentare, quem voluerit.

2. Porrò neceſſe non eſt, ut fiat hæc vocatio per citationem perſonalem; ſed ſufficit, ſi edicta ab inſtituente ſeu Ordinario publicentur de vacatione talis beneficii, ita ut in notitiam patronorum omnium poſſit devenire: hac enim publicatione factâ erit in culpa, adeóque imputet ſibi patronus, quòd non præſentârit, dum tamen per modum unius facienda à pluribus præſentatio, omnes, quorum intereſt vocandi, ut determinato tempore congregentur, aliàs nulla erit nominatio; quia congregatio legitima non erit, Ita Caſtrop.*loc.cit.n.2.* Dum autem aliqui nollent convenire (intellige, dum neceſſarium eſt, ut conveniatur in unum) ſi præſentatio ſpectet ad plures ut plures, & ſint verum collegium, recurrendum eſt ad ea, quæ tradunt Doctores maximè Felin.*in c.cùm omnes. d.c. conſtitut.* Si verò non ſunt Collegium, Judex ad inſtantiam aliorum ſtatuet illis terminum & locum, ubi conveniant (niſi in fundatione ſit ſtatutus) & tunc non comparentes faciunt ſe alienos, & præſentes poterunt actum celebrare, ſicut tradit de capitulo & collegio Garc. *n.229.& 230.*

3. Reſpondeo ſecundò: ad validam præſentationem requiritur, ut major pars patronorum conſen-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tiat in unum; quod ita intelligendum, ut dum communitas aliqua præſentat, major abſolutè pars illius conſentire debet, cùm aliàs verum non ſit, communitatem illam præſentâſſe; dum verò non à communitate, ſed à pluribus ut ſingulis & ſeorſim ſumptis fit præſentatio, illa præſentatio valebit & ſortietur effectum, quæ comparatione aliarum partium major eſt, ſeu plura complectitur ſuffragia, v. g. dum novem ſunt patroni, & ab eorum duobus præſentatur Titius, ab eorum tribus præſentatur Cajus, ab eorum quatuor Sempronius, valida tantùm erit præſentatio Sempronii, quia eſto, non ſit facta à majore parte patronorum computatis omnibus patronis, eſt tamen facta à majore parte patronorum, quatenus præſentationem faciunt ſeu comparatione aliarum partium. Caſtrop. *n.*4. citans Vaſq. *ubi antè num.*20. Azor. *ubi antè q.*20. Jo. And. Sylv. &c. juxta quæ

4. Reſpondeo tertiò: dum plures communitates tanquam diverſa corpora concurrunt ad præſentandum, quodlibet corpus unam vocem integram habet, iſque cenſebitur nominatus ab uno integro tali corpore, qui majorem partem conſtituentium tale corpus pro ſe habuerit, & is in hoc caſu plurium corporum diverſorum facientium præſentationem cenſetur habere pluralitatem ſuffragiorum, adeóque illius valebit præſentatio, non qui à pluribus abſolutè perſonis horum corporum, ſed qui ab integris pluribus corporibus fuerit nominatus, v.g. tria collegia habent jus præſentandi: primum collegium continens 10 perſonas unanimiter nullo excepto conſentit in Titium. Secundum, quod habet 20. Perſonas unanimiter conſentit in Cajum. Tertium habens 20. Perſonas ſecundùm minorem ſuam partem v. g. novem ex iſtis 20 conſentiunt in Titium, reliqui in Cajum, Titius non habebit majorem numerum ſuffragiorum, ſed Cajus Laym. *ad c. paſtoralis. de reſcrip. n.* 9. Idem docet Lott. *paulò pòſt citandus.*

5. Reſpondeo quartò: dum vota patronorum ſunt æqualia, v.g. duo præſentant Titium, & duo alii Cajum, neutra præſentatio prævalebit; ſed eſt locus gratificationi, poteſtque habens inſtituere, quem maluerit, inſtituere. c. *cum autem. h. t.* Lott. *l.* 2. *q.* 11. *n.* 134. Circa quod notandum, quod habet *n.* 135. nimirum non omnem vocum præponderantiam vel pluralitatem (intellige materialiter acceptam) ſolvere talem æqualitatem; dum enim v.g. Patronus habens ſemiſſem votorum (hoc eſt, cujus unius ſuffragium tantundem valet, quàm reliquorum patronorum ſimul ſumpta ſuffragia, in caſu nimirum dum hi repræſentant unum ſtipitem) præſentat Titium; ex reliquis verò decem habentibus alteram ſemiſſem, octo præſentant Cajum, cæteri duo prædictum Titium, non propterea Titius jam habet majorem partem ſuffragiorum (uti eam haberet, ſi quoque ex iſtis decem haberet 6. ſuffragia) ſed manet æqualitas; Cajus namque præſentatus ab illis octo, cenſetur habere vota totius dictæ ſemiſſis, eâ ratione, quâ habens majorem partem corporis, interpretativè dicitur habere conſenſum omnium. Denique quid ſpeciale ſit hac in parte circa religioſum mendicantem reſpectu religioſi non mendicantis, dum præſentatur ad prælaturam extra ſuum ordinem, vide apud Laym. *in c. quorundam. de Elect.* §. *circa n.* 2.

Quæſtio 132. *An & qualiter præſentatio admitti debeat ab habente inſtituere?*

1. RESpondeo primò: præſentatio legitimè facta, & quoties non ſubeſt vel ex parte præſentantis vel præſentati legitima cauſa eam repellendi, debet admitti ab habente inſtituere. Corrad. *l.* 4. *c.* 13. *n.* 1. Proinde

2. Reſpondeo ſecundò: teneri illum admittere præſentatum cum iiſdem qualitatibus & conditionibus ipſius beneficii in limine fundationis adjectis, etiamſi illæ ſint juri communi contrariæ. Corrad. *l.* 4. *c.* 6. *n.* 42. citans Felin. cum communi; ſed neque illam poteſt aliter admittere. Unde plurimum intereſt habentem inſtituere perſcrutari, an præſentatio fuerit facta ſervatâ formâ traditâ à teſtatore ſeu fundatore beneficii. Corrad. *ibidem n.* 41.

3. Reſpondeo tertiò: non debere illum præſentationem factam per patronos & acceptatam per præſentatum admittere abſolutè, ſed ſemper qualificativè, & cum adjectione clauſulæ: *Si, & in quantum*; quæ clauſula id in ſe continet, ſeu ſignificat; ſi & in quantum à jure admitti debeat, ac præſentanti jus competat, & præſentato nihil de jure objici poſſit. Unde & ſequitur citatio particularis vel generalis, diſcutientur jura præſentantium, ac præſentati idoneitas, ſive præſentatio ipſa fiat in concordia ſive in diſcordia. Corrad. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 2. ubi etiam addit, præſentationes ſecundùm omnium Eccleſiaſticarum curiarum uſum non conſuevìſſe aliter, niſi cum dicta clauſula admitti; etiamſi certò ſciat habens inſtituere, præſentantem ac præſentatum, nec non ipſum juspatronatûs nullis laborare defectibus, quò minùs ipſa præſentatio admitti queat. Porrò dicta clauſula, cùm omnino ad juris diſpoſitionem referatur, ut Barb. *de clauſulis, clauſ.* 88. *n.* 1. Menoch. *conſ.* 2. *n.* 360. Campan. Maranta, &c. apud Corrad. *loc. c. n.* 4. adeóque importet admiſſionem in his, quæ veniunt admittenda in caſu præſentationis, in qua concurrunt omnia requiſita, quæque propterea debet admitti, importat admiſſionem, & non operatur diſpoſitionem conditionalem, adeóque præſentatio cenſetur admiſſa, ſicuti è contra importat rejectionem præſentationis, quatenus præſentatio non habet omnia requiſita, ſive de jure non eſt admittenda. Corrad. *cit. n.* 4. citans Ricc. *in collectan. deciſ. p.* 2. *clauſ.* 99. *in fine.* Menoch. *conſ.* 174. *n.* 31. *&c.*

Quæſtio 133. *Quid agendum, dum habens inſtituere non admiſit præſentationem, vel eam rejecit dicendo:* non admitto talem præſentationem?

1. RESpondeo primò: patronus in eo caſu non tenetur alium præſentare; ſi enim poſtea coram judice appellationis conſtiterit hujuſmodi præſentationem fuiſſe legitimè factam, ille, qui erat præſentatus, debet inſtitui. Corrad. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 4. citans Roch. *de jurepatr. v. honorificum. q.* 46. Barb. *de pot. Ep. alleg.* 72. *n.* 167.

2. Reſpondeo ſecundò: dum abſque patronorum culpa & vitio legitimè facta præſentatio fuit rejecta, poteſt patronus & præſentatus agere contra hujuſmodi recuſantem admittere præſentationem apud ſuperiorem illius, ut cogatur eam admittere, & inſtituere præſentatum, & ad reficienda damna & expenſas, ſi quæ inde orta patrono & præſentato. Corrad. *cit. q.* 3. *n.* 5. De modo autem, quo in dicto caſu procedere debeat ad conſequendam inſtitutionem, vide eundem Corrad. *ibid. n.* 6. *& ſeq.* & dicenda *inferiùs de inſtitut.*